



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio V. De Prædicamentis, Postprædicamentis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO V.

De Antepredicamentis, Predicamentis, Postpredicamentis in communi.

TRactaturus Philosophus de Predicamentis, præmisit explicationem quandam vocum, hoc est quid sit Univocum, Æquivocum, Analogum, quæ Antepredicamenta appellavit; quibus adjunxit denominativa. Egit postea de Predicamentis, & demum de Postpredicamentis. Nihil hic disputabile erit, solæ Notiones terminorum, & divisiones ponentur.

QUÆSTIO I.

De Antepredicamentis.

ID quod hic faceret difficultatem, de Analogia Entis, alibi tractatur. Hinc ea quæ hic adferentur propter incipientes & methodi causâ.

DIFFICULTAS I.

De Univocis.

QUÆRITUR I. *Quid sint Univoca?*

RESPONDETUR. Sic ea definit Arist. Univoca sunt, quorum & nomen commune est, & secundum nomen eadem Substantiæ ratio: Ubi ut vides ad univocationem requiritur unitas nominis, & præter hoc convenientia in eadem essentia seu natura; qualis est convenientia specierum in nomine animal, & in nomine v. g. Homo, convenientia individuum quæ sunt Petrus, Paulus &c. Quando verò Aristotel. dicit sub genere latere æquivocationes; per æquivocationes intellexit differentias, quæ componunt cum genere speciem, quibus tamen non obstantibus differentiis, seu æquivocationibus, potest dari adhuc ratio communis conveniendi sub uno nomine, adeoque Univoca.

QUÆRITUR 2. *Quæ sit Univocorum divisio?*

RESPONDETUR. Univoca alia sunt Univocata, seu participantia, alia sunt Univoca Univocantia, seu participata. Univoca Univocantia, seu participata, sunt ipsa illa nomina, & secundum nomina, una Substantiæ ratio: v. g. Animal est univocum univocans, seu participatum; item ly Homo est univocum univocans, seu participatum, quod scilicet ab inferioribus participatur. Univoca autem Univocata seu participata, sunt ipsa multa participantia idem nomen; & eandem naturam; & ita Petrus &

Paulus sunt univoca univocata, seu participantia eandem rationem hominis. Item dividuntur univoca, in univoca substantialia, & univoca accidentalia. Univoca substantialia sunt, quæ conveniunt in una ratione essentiali; ut omnes homines in ratione Animalis sibi essentiali: Alia univoca sunt accidentalia, quæ conveniunt in una ratione accidentali; ut papyrus, nix, lac, in una ratione albi. Sed hæc divisio secunda, non est omnimodè ad mentem Philosophi; nam ille rationem illam communem, quæ participatur, substantiam appellat; ratio autem Substantiæ, accidentibus non convenit.

QUÆRITUR 3. *An univoca excludant disconvenientiam?*

RESPONDETUR. Excludere disconvenientiam univoca ex ratione nominis univoci, & ex ratione Substantiæ illo nomine significatæ; hinc in ratione Animalis, nullam habent disconvenientiam, Homo, Bos, Leo, &c. Cæterum univoca non excludunt disconvenientiam, quæ importetur ex alio nomine, rationeque illo nomine significatæ, v. g. Bos, & Leo, disconveniunt in ratione rugibilis, & mugibilis, cum sint univoca in ratione animalis.

DIFFICULTAS II.

De Æquivocis.

QUÆRITUR I. *Quid sint Æquivoca?*

RESPOND. Arist. Æquivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum nomen verò, ratio Substantiæ diversa, & ita nomen v. g. Canis, dictum de sidere, de latrabili, & de pisce marino, est nomen commune, sed ratio Substantiæ omnino diversa. Ly Nomen, accipiendum hic liberalius, sive pro verbo, sive pro quocunque alio termino, modò sive verbum, sive nomen, in quantum dicitur commune, accipiat in suppositione materiali, hoc est dictione ex literis composita; non verò accipiat in suppositione formali; hoc est non accipiat pro significato: certè enim latrabile significatum nomine Canis, non est commune nomen Sideri.

QUÆRITUR 2. *Quot sint æquivoca?*

RESPONDETUR. Dividuntur imprimis æquivoca in Æquivoca Æquivocantia & Æquivocata, proportionaliter intelligenda sicut ex-

plicui univoca, univocantia & univocata. Rursus æquivoca, alia sunt à casu, alia à Consilio, ex 7. Metaph. tex. 31. Æquivocum à casu est, quod sine ulla proportionem unius ad aliud plura significat, ut cum verbum Edo, significat comestionem, & evagationem; alia sunt æquivoca à Consilio quæ cum proportionem unius ad aliud, significant plura ut v. g. quia rabie, nocet & fidus, & larrabile, & piscis, ideo illis tribuitur nomen commune Canis, & huius generis æquivoca, cum Analogis confunduntur.

QUÆRITUR 3. *An æquivoca excludant omnem convenientiam?*

RESPONDETUR. In ratione Substantiæ quæ nomine æquivoco significatur, excludunt omnem convenientiam; & ita ly Taurus dictum de Monte & Animalis excludit omnem convenientiam. Caterum sub alio nomine possunt habere convenientiam v. g. sub ratione animalis corporis &c. Non nego tamen, quod æquivoca conveniat in uno illo nomine, licet illud nomen sit unum non nisi in suppositione materiali, accipiendo scilicet dictionem pro ipsis literis; quantumvis non sit unum in suppositione formali; quia suppositio formalis, est ipsa significatio, quam unam, non habent æquivoca. Neque erit necesse ut unum nomen, uno materiali, & uno formali constet; potest enim nullo formali constare, & tamen esse unum nomen; sic Blictri, nihil significat, & tamen est unum nomen: cumque significatio sit forma accidentalis, & ex placito, non verò aliqua essentialis, ideo poterit vox, retenta sua unitate, nunc hoc, nunc illud significare. Quando verò Aristoteles 4. Metaph. cap. 2. tex. 11. docet, unum nomen unum significare, intelligendus est quod dicat hoc de uno nomine, quod facit nos aliquid certi & determinati intelligere; aliàs si unum non significaret, nihil determinati significaret, hinc & non suspensè accipiuntur, nec in actu exercito, ut sunt æquivoca, seu exercent æquivocationem, aliàs definiri unà definitione non possent; sed accipiuntur in actu signato, seu secundum rationes communes omnibus æquivocis.

DIFFICULTAS II.

De Analogis.

QUÆRITUR 1. *Quid & an sint Analoga?*

RESPONDETUR. Analoga sunt, Quorum nomen commune est, ratio verò nomine significata, nec omnino eadem, nec omnino diversa. Sub qua ipsa definitione pro majori posita, subsumenda minor, sed dantur talia, ut patebit ex dicendis; ergo dantur Analoga. Voluit idem Aristoteles, qui licet ea hic intellexerit non nisi sub nomine æquivocorum à Consilio, alibi tamen clarè illa ponit ut Imi Ethico, c. 6. 1. Post. tex. 23. 4. Metaph. tex. 2. 12. Metaph.

tex. 22. Ostendit idem vis nominis: nam analogia latinis est proportio & convenientia in aliquo; dantur autem ita sibi proportionata, ita convenientia &c. Denique non omnia sunt ita diversa, ut in nullo convenient; saltem enim convenirent in eo, quod non convenient; dantur item non ita convenientia, quin etiam differant; aliàs auferetur prædicamentum differentia, & tamen possunt eodem nomine significari, cur non enim? ergo dantur analogia.

DICES. Si darentur Analoga, daretur medium inter Univoca & Æquivoca, si daretur medium inter Univoca & Æquivoca, daretur medium inter contradictoria; nam daretur medium inter omnino similia, quæ sunt Univoca, & omnino non similia, quæ sunt Æquivoca. Jam verò Analoga sunt partim similia, partim non similia.

RESPONDETUR. Analoga esse medium inter Univoca & Æquivoca, sed non erunt medium inter contradictoria: quia omnino simile, & omnino non simile, sunt contraria, non contradictoria. Ratio: Quia utrumque extremum positivè significatur; & sicut datur medium inter omnino album, & omnino non album, hoc est nigrum, datur inquam medium, hoc est fuscum, ita in præsentia dari poterit. Contradictoria ergo non nisi sunt omnino simile, non omnino simile; quo casu analogia non erunt medium, sed spectabunt ad negativum membrum, nempe non omnino simile. Quod si analogia non sunt medium, inter omnino simile & non omnino simile, hoc ipso non erunt medium inter contradictoria.

ADDO 1. In quo stet ratio Analogia, & dico, quod stet in ratione conveniendi & disconveniendi, in ipsa ratione illo nomine significata, non verò in ratione alio nomine significata: hinc Animal non est Analogum, quia ratio differendi v. g. in rationalitate, est ratione formalitatis illi adjunctæ, & non significatæ nomine Animal. Sanum autem, dictum de pulsu, medicina, &c. est Analogum; quia indicatio sanitatis conveniens pulsui; causatio sanitatis, conveniens medicinæ, sani nomine appellatur.

ADDO 2. Quæ sint fundamenta Analogia. 1. Est Transcendentia, quia Transcendens in quantum est transcendens, est commune pluribus, & est ratio conveniendi; in quantum autem identificatur formaliter differentiis, est ratio differendi. 2. Est Similitudo imperfecta. Ratio: quia ly similitudo, erit ratio communis, ly imperfecta, erit ratio differendi. 3. Est Ordo prioris & posterioris, ut voluit Aristoteles 3. Physicor. tex. 70. & 7. Metaph. tex. 14. & 15. & ratio est quia hic ordo, involvit dependentiam ab aliquo communi, quod erit ratio conveniendi; ratio autem prioris & posterioris, erit ratio differendi.

ADDO

ADDO 3. Quæ sint Signa Analogiæ. 1. Diversæ explicabilitas Copulæ; nam ly sanum, dictum de Animal, significat subiectum sanitatis; dictum de pulsû, significat indicare sanitatem; dictum de cibo, significat servari sanitatem &c. 2. Signum. Possit prædicari in sensu formali de pluribus differentibus. 3. Signum. De Uno dici propriè, de altero, minùs propriè; ut cum dicitur ly ridere de homine, & bruto.

QUÆRITUR 2. Quotuplicia sint Analoga?

RESPONDETUR. Dividuntur Analoga in Analoga Analogata, & Analoga Analogantia; quæ explicanda proportionaliter ad dicta de Univocis. Rursus. Alia sunt intrinsecè participantia rationem nomine Analogo significatam alia extrinsecè, alia sunt Analogo nomine Metaphorico significata; ut cum dicitur Risus de prato, & homine. Et alia sunt Analoga, in quibus nomine proprio significatur ratio Analoga. Famosa divisio est, in Analoga Attributionis, & Analoga Proportionis. Analoga attributionis sunt; Quorum nomen commune est, & ratio secundum nomen, est eadem secundum terminum, diversa secundum habitudines ad illud. Sic Sanitas Animalis est terminus, sed habitudo ad hanc sanitatem, est diversa; vel habitudo Indicii, quam dicit pulsus sanus, vel habitudo causalitatis, quam dicit medicina &c. Hic terminus solet etiam appellari Principale Analogatum de quo illud axioma: Nomen analogum absolute prolutum, stat pro principali seu famosiori analogato: Unde audito hoc nomine sanum, statim relucet in mente sanitas animalis. Proportionis autem Analoga sunt; quorum Nomen commune est, & secundum illud nomen, ratio substantiæ proportionaliter eadem: sic v. g. ly Principium est Analogum, & dictum de linea habente principium, significabit extremum à quo incipit linea; si dicatur de corde, cor est principium, significabit quod sit principium vitæ. De priori Analogia agit Arist. 4. Met. tex. 2. De altera 1. Ethic. c. 6. 2. Poster. tex. 23. 5. Met. tex. 12. & 12. Met. tex. 22.

ADDO 1. Quæ distinctio sit Analogorum Proportionis, ab analogis Attributionis. Est in hoc distinctio, quia Analoga Attributionis, unam rationem respiciunt, v. g. sanitatem animalis, respiciunt reliqua; de quibus dicitur sanitas. Proportionis autem Analoga, non respiciunt unam rationem, sed habent diversas rationes, proportionaliter tantum easdem; certè enim, alia ratio Principii in fonte, alia in corde, licet proportionaliter eadem. Deinde in Analogis Attributionis, est dependentia ab uno reliquorum Analogatorum, nulla autem est dependentia fontis à corde, cordis ab aurora &c.

ADDO 2. Non omnem proportionem arguere analogiam; nam est proportio, cum dico. Sicut se habet homo ad operationes sensandi, ita & leo ad operationes sensandi; & tamen hæc

proportio est univoca non Analoga; sola ergo proportio secundum idem nomen & rationem illo nomine significatam, arguit Analogiam.

ADDO 3. Analoga Proportionis, quædam sunt Propria, quædam Impropria. Principium dictum de corde, & fonte, est Analogum Proprium; Risus autem dictus de prato, est Analogum Metaphoricum.

QUÆRITUR 3. Quid sentiendum de Analogis Inæqualitatis? Hæc excogitavit & definivit Cajetan. quod sint Analoga, quorum nomen commune est, & ratio secundum illud nomen omnino eadem, inæqualiter tamen participata. Exemplificabat hoc Cajetan. in nomine Animal, quod secundum se omnibus animalibus inest, sed perfectius homini. Sed hæc Analoga, si Metaphysicè spectentur, sunt Univoca. ratio est; quia ratio illa Animalis præcisè spectata, erit jam sine differentiis, à quibus hæc diversitates oriuntur; Unde licet habeatur Ordo prioris & posterioris inter hominem v. g. & leonem; Ordo tamen hic, non arguet Analogiam, quia non est ordo dependentiæ, sed ordo dignitatis; Physicè tamen & materialiter si spectentur hæc Analoga inæqualitatis, transire potest, quod sint Analoga; quia ratio generica, est idem physicè cum ratione differentiis v. g. rationalitatis, rationalitas autem dicit rationem perfectioris comparata v. g. ad rugilitatem. Sunt & alia antepredicamenta, quæ denominativa appellavit Aristot. sed de his egimus, ubi de ente rationis Logico. Reliqua videantur in Aristotele.

QUÆSTIO II.

De Prædicamentis.

QUÆRITUR 1. Quid sint?

RESPONSUM ad hoc adhuc in Dialectica, quod sint series Prædicatorum, deducta à summo genere, & species intermedias usque ad individua.

QUÆRITUR 2. Quot sint?

RESPONDETUR. Decem: ea in Dialectica numerantur, & eorum definitiones traduntur. Hæc divisio non est omnino exacta; Cæterum ad finem à Divisoribus intentum sufficiens, hoc est ut assignentur modi essendi, quibus substantia vel est ipsa, vel alia sunt in ipsa, & eam afficiunt, tribuuntque ei denominationes. Ut tribuit Qualitas denominationem Qualis substantiæ. Quantitas denominationem quantæ. Ubi denominationem Locatæ &c. Non incommode tamen, reliqua revocari possunt ad hæc decem prædicamenta; & ita denominationes extrinsecæ, v. g. Visum Cognitum &c. revocari possunt ad Actionem vel Passionem &c. Celibatus autem, qui est carentia matrimonii, licet

licet non comprehendatur in decem his prædicamentis, sustineri tamen hæc divisio potest, quia scilicet hæc dividitur Ens; Carentia autem Matrimonii est non ens, hinc mirum non est, quod ad nullum prædicamentum, Cœlibatus revocetur.

QUÆRITUR 3. *Quanam ponantur in recta linea prædicamentali?*

RESPONDETUR. Hæ Conditiones ad ponendum aliquid in linea prædicamentali numerari solent. I. Ut sint Ens reale. II. Ut sit per modum per se stantis. III. Ut sit Ens per se, & saltem in confuso sui conceptu, non involvat pluralitatem; & sic Exercitus, quia in confuso sui conceptu involvit pluralitatem, ad nullum certum revocatur prædicamentum; Vestitum autem revocatur ad prædicamentum habitus; quia saltem in rudi suo conceptu pluralitatem non involvit. IV. Ut rudi suo conceptu non sit Ens complexum. V. Ut sit ens finitum, id est ens creatum; Certè enim infinitum si crearetur, ad prædicamentum Quantitatis pertineret.

Hic de Prædicamentis in particulari nihil agendum erit; Substantia enim ad Metaphysicam, Quantitas, Qualitas, &c. ad Physicam spectabant; sola Relatio, ex communi consuetudine, hic explicanda erit. De qua infra.

QUÆSTIO III.

De Post-prædicamentis.

QUÆRITUR I. *Quid sint?*

RESPONDETUR. Postprædicamentorum nomine, veniunt voces quædam, quas ex-

plicat Aristot. post Tractatum de Prædicamentis.

QUÆRITUR 2. *Quod sint & quæ Postprædicamenta?*

RESPONDEO. Primum Postprædicamentum est; Oppositio, cujus oppositionis nomine, non venit oppositio complexa, de qua in secunda Operatione in Dialecticis, sed hic oppositionis nomine, venit Repugnantia ad se pertinentium; hoc est, quæ se excludunt, ut Nigredo, & Albedo; vel quæ se inferunt, ut est Pater & Filius. Secundum Postprædicamentum est; Prius. Quinque autem Modis aliquid est prius, ut Versiculi hi exprimentur:

Tempore, natura, prius Ordine, dic & honore
Et causa effectus dicitur esse prior.

Nihil hic explicandum esset nisi Prioritas naturæ, sed de hac alibi. Tertium Post-prædicamentum est, Simul, atque alia sunt simul tempore, ut duo Coartanci; alia simul natura, scilicet ea, quæ ad convertentiam dicuntur, & unum non est causalitas aliud. Quartum Postprædicamentum est, Motus, de quo in Physica. Quintum Post-prædicamentum est, Habere, sive illud habere sit Morale, ut habere Opes, Virtutes, &c. sive Physicum, hoc est, accipiendo, habitum pro vestitu; accipitur ergo habere hic pro quocunque modo se habendi, adeoque non jam ita, ut accipitur pro Prædicamento, de quo consule Matrium in Summulis.



DISPUTATIO VI.

De Prædicamentis in Particulari, & in Specie,
de Relatione.

Post tractationem brevem de Prædicamentis in communi, deberet sequi tractatio de Prædicamentis in particulari, quæ si exacta dari deberet, absumeret quidquid in particulari aliæ scientiæ tractant, nunc de more Logici anni, attingetur Prædicamentum Relationis.

QUÆSTIO I.

De Existentiæ & Subjecto Relationis.

PONO imprimis explicationem, Terminorum in hac materia usurpabilium.

FUNDAMENTUM, prout condistinguitur Subjecto, est causa seu ratio, propter quam, una res ad aliam refertur; & ita, vis productiva effectus, est fundamentum, ut referatur causa ad effectum.

SUBJECTUM est istud extremum, quod continet istam causam, soletque appellari fundamentum remotum.

RATIO FUNDANDI est istud, quod complet subjectum, ut ad aliud referri possit, qualis est causalitas. Hæc tamen ratio fundandi, in relatione